

CLXXXIV

V₂ 112 ra

|| In die dedicationis.
Brixinae 1455.

„Domus mea domus orationis vocabitur“.

5 1. Ex quo de Oratione Dominica initium fecimus, servit proposito nostro quod domus haec est in qua oratio fieri debet. Nam dum benediceretur et consecraretur per pontificem, inter sacra petitum est, ut omnis, qui in ea petit, accipiat et exaudiatur. Pauca de oratione praemittenda.

10 Quilibet christianus propter quatuor libenter debet orare: ratione communitatis, ratione agilitatis, ratione nobilitatis et ratione virtutis.

2. Ratione communitatis, quia res quanto communior, tanto melior, sicut tactus melior quam alius sensus, quia communior; inest enim etiam alios sensus non habentibus, et ideo destructis aliis sensibus adhuc animal vivit. Sed destructo tactu non est vita. Sic inter elementa ignis communior, quia communicat proprietatem suam superioribus et inferioribus, et ideo nobilius elementum: communicat lucem stellis, calorem elementis, quia nihil vivum sine calore. Sic inter esse, vivere et intelligere esse est communior et nobilius et melius; ideo ab omnibus

V₂ 112 rb
20

|| desideratur: omnia enim appetunt esse. Est autem primum in intentione et manet ultimum in resolutione. Ideo nobilius et communior. Sed oratio est communior, quia visus per oculos, auditus per aures, intellectus per intellectum, amor per affectum fit, orare autem per ista omnia. Nam audire verbum Dei est orare, diligere caelestia, cantare officia

6. est *add. supra lin.* V₂ 12. videtur alienum *excerptores* (cf. SB. 1936/37 2. Abh., p. 68) in marg. V₂

4. *Matth. 21, 13* (= *Is. 56, 7*). *Laudatur in Communione missae Dedicationis Ecclesiae. Cf. not. seq.*

7. *CUSANUS alludit vel ad dictam Communionem* (Domus mea domus orationis vocabitur, dicit Dominus: in ea omnis, qui petit, accipit: et qui quaerit, invenit, et pulsanti aperietur) *vel ad Praefationem, quae inter caeremonias consecrationis ecclesiae cantatur: Descendat quoque in hanc ecclesiam . . . Spiritus Sanctus . . . ut quotienscumque in hac domo tua sanctum nomen tuum fuerit invocatum, eorum qui te invocaverint a te pio Domino preces exaudiantur. Pontificale Romanum, Collibus [= Colle, Toscana] 1503, f. 111rb.*

10. *Quae sequuntur* (p. 122, 10—126, 17) *sine dubio ex Sermone aliquo ALDOBRANDINI DE TUSCANELLA desumpta sunt; cum istum Sermone usque hodie nondum invenerim, sententias ex aliis excerptas allegabo quibus ALDOBRANDINUS easdem ideas proponit.*